

sitetur sed liberè agat. Deinde univerſaliter verum est omnem creaturam instrumentum Dei esse, ideoque agere motam sicut instrumentum movetur à principali agente: hoc enim affumit & hic & alibi tanquam universale. Unde capite 147. *Sub Deo qui est primus intellectus & volens ordinantur omnes intellectus & voluntates sicut instrumenta sub principali agente.* Et capite 149. *Anima nostra operatur sub Deo sicut agens instrumentale sub principali agente.* Et lib. 4. capite 41. *Omnes homines comparantur ad Deum ut quadam instrumenta quibus operatur, ipse enim est qui operatur in nobis*

*Phil. 2. velle & perficere pro bona voluntate secundum Apostolum Philipp. 2. & capite 148. libro 3. ostendens quod per auxilium gratiæ homo non cogitur ad bene agendum, sic loquitur: Divinum auxilium sic intelligitur ad bene agendum homini adhiberi quod in nobis nostra opera operatur sicut causa prima operatur operationes causarum secundarum, & agens principale operatur actionem instrumenti.*

*Isa. 27. Unde dicitur Isaia 26. Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine. Causa autem prima causat operationem causæ secundæ secundum modum ipsius; ergo & Deus causat in nobis nostra opera secundum modum nostrum qui est ut voluntariè & non coactè agamus: non ergo divino auxilio cogitur aliquis ad rectè agendum.* Id est, non necessitatur sed liberè agit, coactionem enim hic sumit pro naturali necessitate quæ opponitur libertati. Unde in fine capitis probat ex scriptura hominem esse liberi arbitrij. Deinde rursus in eodem capite dicit quòd *Dei auxilium non excludit à nobis actum voluntatis, sed ipsum præcipue in nobis facit: unde & Apostolus dicit ad Philipp. 2. Deus est qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate.* Capite autem 149. docet divinum illud auxilium esse supra hominem, ideoque hominem non posse illud promereri sed necessariò præveniri ut bonum agat. *Homo, inquit, non movet seipsum (id est non se disponit per motum aliquem prævium) ad hoc quod adipiscatur divinum auxilium quod supra ipsum est, sed potius ad hoc adipiscendum à Deo movetur: motio autem moventis præcedit motum mobilis ratione & causa; non ergo propter hoc datur nobis divinum auxilium quia nos ad illud per bona opera promovemur, sed potius nos ideo per bona opera proficimus quia divino auxilio prævenimur.* Ubi continetur hoc aut simile argumentum. Omnis motio moventis præcedit ratione & causâ motum mobilis: Atquidum homo agit bene, ibi est motio Dei moventis, scilicet Dei per auxilium gratiæ, & motus mobilis scilicet hominis qui movetur, ergo motio Dei per gratiam præcedit motum hominis operantis, ideoque ipse homo non prius operatur quam Deus, nec potest seipsum sine Deo præveniente disponere. Ubi tria notanda sunt

**E** 1. quod Deus moveat, 2. quod præmoveat seu præveniat. 3. quod omne movens prius natura moveat quam mobile sit motum: Nam ex vi argumenti liquet primam propositionem debere accipi ut univerſaliter veram, alioquin enim illud non concluder: quanquam si Deus prævenit in bonis, nec libertatem tollit, satis clarum est quod præventio seu præmotio libertati non contrarietur.

ARTICULUS XVI.

**E** Andem sententiam quod Deus immediate attingat causam & in eam influat dum illam *Sylv. de motione primi motoris.*

**A** movet ad operandum confirmare licet ex 2. sentent. distinct. 1. quæstione 1. articulo 4. *Hoc, inquit, quod creatum est causa alij creatura, non excludit quin Deus immediate in rebus omnibus operetur, in quantum virtus sua est sicut medium coniungens virtutem cuiuslibet causæ 2. cum suo effectu: virtus enim non enim virtus alicuius creature posset in suum effectu nisi per virtutem creatoris à quo est omnis virtus & virtutis conservatio & ordo ad effectum, quia ut in l. de causis dicitur: causalitas causæ 2. firmatur per causalitatem causæ primæ.* Ecce ubi clare dicit Deum ejusque virtutem contingere causam 2. ejusque virtutem: non ergo concurrat Deus in solum effectum, sed etiam in causam. Unde quod ex eo sapè repetivimus, dist. 25. quæstione 1. articulo 2. ad 1. rursus asserit quod *Deus operatur in voluntate & in libero arbitrio secundum exigentiam: & in reſponſione ad 3. Nulla virtus creata liberum arbitrium cogere nec immutare potest, Deus autem potest quidem immutare, sed non cogere.* Item distinct. 26. quæstione 1. articulo 5. ad 3. *Ipe motus voluntatis non est à gratia (operante) sine libero arbitrio, & tamen quia se habet gratia ut principale, quia inclinatur in talem actum per modum cuiusdam nature; ideo ipsa sola dicitur talem actum operari, non quod sine libero arbitrio operetur, sed quia est principalior causa.* Et dist. 37. quæst. 2. art. 1. ad 1. *Deus, inquit, non eodem modo inclinatur voluntatem in bonum & in malum; inclinatur siquidem voluntatem in bonum administrando virtutem agendi, & directe movendo ad bonum, sed ad malum dicitur inclinare in quantum gratiam non præbet, &c.* Articulo autem 2. de Deo dicit quod quantum attinet ad bonas actiones, utrumque *Deus influat agentis ut agat & ut bene agat: ergo influat in causam, quandoquidem influat agentis, quod est causa.*

ARTICULUS XVII.

**N**E verò arbitraris dissentanea his ab eo scripta fuisse in scriptis posterioribus, scias summam Theologicam (æqua dudum multa retulimus testimonia diserte asserentia Deum & movere omnia moventia, & voluntatem ita movere ut eam quidem determinet ad agendum sed non ex necessitate i. non sic ut necessitatem inferat) ab eo scriptam fuisse morti jam vicino. Sed & in compendio Theologico quod est tertium inter opuscula, quodque imperfectum morte præventus reliquit, eadem hæc de re docuit: nam cap. 4. *Necesse est, inquit, Deum moventem omnia immobitem esse, quia scilicet ait primum movens: & capitulo 129. Non est (ait) contra arbitrij voluntatem si Deus voluntatem hominis movet, sicut non est etiam contra naturam quod Deus in naturalibus operatur, voluntas sed tam inclinatio naturalis quam voluntaria, a tatem. Deo est, utraque proveniens secundum conditionem rei cuiusque. Sic enim Deus res movet secundum quod competit earum nature.* Ne verò putes Deum ab eo dici moventem solum ideo, quia virtutem dedit & conservat, lege quæ diximus ex 1. parte quæstione 105. *Non solum dat & conservat sed etiam applicat, &c.* Lege etiam que sequuntur hoc capite. *Pater, ait, ex prædictis quod in corpus humanum & virtutes eius corporeas imprimere possunt corporea caelestia sicut & in alia corpora, non autem in intellectum, sed hoc potest creatura intellectus; in voluntatem autem solus Deus imprimere potest. Quomodo autem imprimet in voluntatem, si in eam non influat, sed tantum in effectum? Hoc non est imaginabile.*

*Deus influat agentis ut agat.*

*Solus Deus potest imprimere in voluntatem.*